DE FEBRIUM CAUSA PROXIMA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE X. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CHRISTOPHORUS ALFF
EIFLIANUS.

OPPONENTIBUS:

J. KRAFFT, MED. ET CHIR. DR.
J. M. FOEHR, MED. ET CHIR. DR.
J. STAUB, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

FRATRI SUO DILECTO

J. J. ALFF,

PRESBYTERO CATHOLICO PASTORIQUE PRONI-
FELDENSI

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Praeclara corporis humani constitutio externa, insignis ejus partium proportio ac mirabilis earum functionum consensus in bona valetudine omnes, qui harum rerum cognitionem petunt, tanta afficiunt admiratione, ne quis eorum, cur homo tam saepe prorumpat in adversam valetudinem, facile evolvere possit. Morborum enim genera ac species tam varia tamque copiosa sunt, ut cum hominibus ipsis multiplicata esse videantur, neque providendum est, quem ad finem genus humanum valetudinem suam perducat. Omnium autem morborum frequentissimus est febris, jam antiquissimis temporibus observata et descripta, nec tamen, permultis celeberrimisque scriptoribus ejus naturam ac indolem explicare conatis, satis claram et perspicuam cognitionem ejus causae proximae amplectimur. Qua de

re scribere nobis proposuimus, partim ut opiniones, quas priores memoriae prodiderunt scriptores, in unum colligamus libellum, partim ut de his probandis refutandisque disseramus. Ut vero rem clare ante oculos ponere possimus, febrium symptomata generatim afferenda erunt; nam ex eorum consideratione liquebit, quae opinionum vera et probanda, quaeque falsa atque rejicienda sit. Verum enim vero res est ardua praesertim homini novo in arte medica; quare lectores sint benevoli, humaneque judicent tironis libellum.

AUCTOR.

Nomen febris alii a verbo ferbeo sive ferveo, alii a februo i. e. expio derivatum volunt (1, 2); Graeci vero eam πῦρ vocant; sed quid juvat nomen, si quidem rem ipsam cognoverimus (3), quod ex ejus symptomatum consideratione sola fieri potest. Febrium autem symptomata admodum varia ac copiosa sunt, verum decursus tam regularis est, ut cum *Val. ab Hildebrand* septem stadia, quorum contemplatio claram signorum cognitionem praebebit, discernere velimus (4).

---

(1) Institut. medico-pract. q. aud. s. praelegebat Jo. Bapt. Burserius de Kanilfeld. Lips. MDCCXCVIII. vol. I. pars I. p. 75.

(2) Val. nob. ab Hildebrand. — Institut. practico-medicae. Viennae Austriae 1825. tom. I. p. 37.

(3) Galeni Pergameni de morb. et symptomat. different. et caus. lib. III. cap. I: Atque meminisse oportet ejus, quod semper dicere solemus, ut, quod ad nomina pertinet, celerrime mutuam pacem componamus, atque ad res ipsas festinantes in ipsis versemur ac diu persistamus.

(4) Val. ab Hildebrand lib. modo cit. p. 56.

Stadium primum. Opportunitas.

Moeror, tristitia, negotiorum taedium quotidianorum et lassitudo hominem invadunt; corpus igitur facile fatigatur et sudores cito facileque apparent cum sensu quodam caloris interni. Somnus non reficit eum, nausea ciborum appetitu privat, oculi fiunt debiles, facies reliqua accipit colorem pallidum, respiratio acceleratur et promittit odorem foetidum (5, 6). Hic rerum status durat interdum quatuordecim dies, imo viginti unum.

Stadium secundum. Invasio.

Corporis dedolatio augetur, frigus, horripilatio aut horror, quae calor fere semper sequitur, aegrotum appetunt, formicatio in regione dorsali animadvertitur, et cutis sic dicta anserina haud raro venit in conspectum. Caput fit grave et turbidum, praecordia tenduntur, latus dolet, respiratio anxia, tussicula, pulsus frequens et parvus, crebriores urinae mittendae accessus signorum agmen cogunt.

Stadium tertium. Incrementum.

Evanescentibus nonnullis invasionis sym-

---

(5) Val. ab Hildebrand l. c. p. 58.
(6) A. Corn. Celsi Medicina. Coloniae ad Rhenum. 1835. lib. II. cap. II.

ptomatibus reliqua intensitate augentur atque simul alia numero plura ingrediuntur. Oscitationes, pandiculationes, formicationes et horrores evanescunt, frigus in calorem mutatur, cutis transpirare incipit, urina fit parcior, colorata, ast limpida. Sitis adaugetur, decrescentibus inversa ratione adpetentiis, faciei turgor, genarum rubor, oculorum splendor, languente adspectu, capitis gravitas, somnolentia haud reficiens, morositas aut indifferentia animi, praecordiorum anxietas, inquietudo, jactitatio, hallucinationes et deliria, respiratio citatior, anhelosa, halitus ardens, pulsus liberiores, veloces tamen, varie pleni et fortes in collo et temporibus saepe vibrantes (7).

Stadium quartum. Vigor s. fastigium.

Signa, quae modo nominavimus, persistunt, neque minuuntur neque augentur, donec morbus vel ad sanitatem proclinat vel in alios morbos aut mortem sese vertit. Sin igitur vis medicatricis naturae morbo praevalet et impedimenta e medio tollere coepit, secretiones et excretiones aequaliores fiunt, pulsus mollis, cutis vaporosa, et morbus judicationem inire incipit.

---

(7) Val. ab Hildebrand. Instit. practico-med. tom. I. p. 61.

Stadium quintum. Coctio.

Symptomata morbi, postquam ille in statu modo descripto paulisper versatus in bonam partem sese vertere incoepit, de novo fiunt vehementiora, carotides pulsant, deliria iterantur, respiratio anxia et anhelosa fit, cutis ardet, oculi splendent; tum vero cutis transpirare coepit, urina missa continet nubeculam seu eneorema et mittit postremo sedimentum, ita ut nonnullas post horas morbus haud raro ex toto evanescat (8). Aliis autem in casibus febris non subito sed sensim sensimque redit in integrum; id quod lysis seu resolutio vocatur, si nulla agitatio critica animadvertitur (9). In crisi vero materia, olim peccans nominata, promittitur critica. Ut igitur materia critica nominari possit, ea aequalis et homogena, pro morbo concreto satis copiosa esse, in eo loco, quo apparere solet, in conspectum prodire, die morbi constituto in lucem venire, et characterem morbi adaequare debet (10).

---

(8) Galen. de crisib. lib. III. cap. II.
(9) Galen. de crisib. lib. III. cap. VII.
(10) Lehrbuch der Semiotik für Vorlesungen, bearbeitet von Dr. Jo. Fr. Herm. Albers, aufserordentlichem Professor d. Med. an d. Rheinischen Friedrich-Wilhelms-Universität. — Leipz. 1834. S. 64—81.

Stadium sextum. Declinatio.

Omnia morbi signa minuuntur et evanescunt, status irritationis adhuc remanet, quocum lassitudo quaedam conjuncta est, verum haec symptomata etiam postremo diminuuntur et vires in diem augentur.

Stadium septimum. Convalescentia.

Vires magis magisque redeunt, somnus reficit, ciborum appetitus bonus, corporis animique functiones liberiores aequalioresque fiunt, sensus jucundus et amoenus aegro saepe inest, et hac ratione homo redit in pristinam valetudinis conditionem.

AETIOLOGIA FEBRIUM.

Duplex conditio necessaria est ad febrim oriundam; altera enim corpus praedisponit, altera praebet occasionem febris concitandae. Ambas igitur causas remotas nominarunt scriptores, et his opposuerunt causam proximam, de qua nobis disserendum est; verum etiam de illis aliquid literis commendare operae pretium erit.

I. Causae remotae.

Non omnes homines, qui in iisdem exter-

nis rerum conditionibus versentur, eadem ratione affectari, experientia docuit; quam ob rem illorum corporis statui, qui malo affectantur, aliquid adesse debet, quod ad malum inclinat eos, ut accidens quidquam morbum provocare possit. Itaque causas remotas dividamus in causas praedisponentes et occasionales (11).

A. *Causae praedisponentes.*

Morborum historias pervolventes, et res ac conditiones, quae eorum praedispositionem excolebant, considerantes animadvertimus, alios homines a natura quasi eam accepisse et secum portasse, alios autem vitae ratione sibi acquisivisse secumque tulisse, donec, causa occasionali utut accedente, morbus ipse exortus sit.

Quod ad primam harum causarum seriem pertinet, cutis mollis et tenera annotanda est, quod sudor hac conditione facile apparet et minima aëris mutatione reprimitur, ut illius functio laedatur et perturbetur; tum talis tractus intestinalis conditio commemoranda est, qua cibi non solum non bene ac rite coquantur, verum etiam vermes exoriantur, ex quibus omnibus febris concitari potest; deinde

(11) Valent. ab Hildebrand l. c. p. 79.

anima tam sensibilis atque perversa, quae cito irascatur, aut metu ac timore gravi ratione facile comprehendatur, febris exoriundae causam haud raro praebet; tandem vero universim debile nervorum systema, quod parvo eventu adverso minimoque impetu nimis alteratur, causas praedisponentes congenitas tractanti non omittendum est.

Causae vero praedisponentes non modo congenitae sunt, sed etiam moribus, vitae rationibus, anni temporibus et aetate generisque varietate profici possunt (12). Nam qui omnibus anni temporibus corpus suum ingenti vestimentorum copiae involvunt idemque sudore continuo tali ratione obtegunt, cutem brevi tempore tam sensibilem reddent, ut parva hujus vitae rationis aberratio perniciosa refrigeratione eos afficiat (13). Aestas quoque hanc cutis conditionem lubenter procreat, eidemque aetas puerilis et juvenilis nec minus mulieres subjectae sunt. Simili modo, qui diversissimis cibis potionibusque admodum variis ventrem implere solent, tractus totius intestinalis constitutionem mox ita mutabunt, ut res levissima ad febrim provocandam sufficiat. Nec minus eorum abusus, quae nervos

(12) Corn. Cels. l. c. lib. II.
(13) Corn. Cels. l. c. lib. I. cp. IX.

summopere excitant, uti spirituosa, libidines, musica mollis solent, quaeve corpus humoribus generosissimis et quasi vitae spiritu privant, sicuti coitus, onania aliaeque foeditates, totum nervorum systema paulisper tam vanum, tam debile tamque lassum reddent, ut, etsi non plane exhauriantur vires, mala tamen perniciosissima horribilissimaque sequantur et vitam postremo extinguant. Tandem quoque monendum est, omnes, qui tali animae cultura utantur, ne in plurimas nedum in omnes illius functiones dominentur ratione, sed, libidinum servi, praecipites in qualemcunque perversam vitae rationem sese irruant, nunquam a morbis liberatos esse, sed, dispositione exculta, modo hoc modo illo laborare malo.

B. *Causae occasionales.*

Sine dubio anima hominis et corpus connexum quendam inter se habent, ut res illius adversae ex duplici fonte effluere possint; verum enim vero nemo adhuc illum nexum accurate et perspicue evolvit. Nihilominus causas occasionales in somaticas et psychicas dividamus, quamquam harum illarumve finem certum facere non possimus.

I. Somaticae.

Primum igitur considerandum est, utrum eae ab externa an interna parte in corpus influxerint; qua de re causas somaticas externas et internas discernere velimus, primum vero de illis tum de his disseramus.

a) Externae.

Harum numerus tam magnus, res ipsae tam variae atque diversae sunt, ut permultae differentiae nobis sese praebeant, de quibus ex ordine nunc loquamur.

I. Physicales.

His omnes causas annumeramus, quae ex aëris temperatura varia, tempestatibus, anni et diei temporibus aut ex aliis hujusmodi conditionibus originem trahunt.

Primum locum tenet refrigeratio. Si quis enim e loco subito transit in alium, cujus temperatura minor est, quam illius, refrigescit; quare cutis functio laeditur perturbaturque et totus organismus in malum irruere potest. Quocirca febris catarrhalis, rheumatica, gastrica et aliae oriri solent. Simili modo, si cutis admodum mollis et sensibilis sudoreque obducta vento obvenit frigido, vel, homine humi prostrato, in terram adjacentem

frigidam calorem mittit nimium, illi morbi in lucem venire possunt. Idem efficit aër humidus frigidusque. Aëris denique temperatura variis diei partibus, ut aequinoctiis fieri solet, admodum varia est, et minime mirandum est, febres illas his conditionibus saepius inveniri.

Calor nimis magnus nunc commemorandus est, nam et ex eo febris producitur, sicuti aestatis tempore saepe animadvertitur (14).

II. Chemicae.

Chemicae causae agunt vel organicam massam destruendo, adrodendo, vel processum vitae organico-chemicum alterando vel vitales partes irritando (15). Res variae diversaeque materiae illos proferre possunt effectus; transeamus idcirco ustionem, corpora caustica et corrosiva, omittamus metallorum irritamenta oxydatorum, salina, aromatica, aetherea, spirituosa et acria, et ad miasmatis contagiique considerationem vertamus.

Miasma est sensibilis aut insensibilis materia, in ullo loco ullave regione oritur, omnes, qui ibi versantur, dispositione exculta, affectat, nec venit ab externis regionibus neque multiplicatur in homine aut sui simile ge-

(14) Galen. de morb. diff. lib. II. cap. II.
(15) Val. ab Hildebrand ratio med. T. II. c. IV.

nerat (16). Sed qualis sit ejus natura et indoles, ignotum est. Ex eo autem, quod miasma praesertim in iis regionibus, in quibus multa animalium corpora multaque vegetabilia solvuntur maceranturque, invenitur, collegerunt, illud magnam materiae azoticae copiam multumque hydrogenii continere; verum hanc opinionem nemo adhuc accurate et perfecte demonstravit. Sin autem animo revolvimus, homines phthisi pulmonali laborantes in iis regionibus, in quibus febres intermittentes continuo grassantur, melius se habere, quam in illis, quarum aër majori oxygenii parte revera gaudetur, illam sententiam veram esse habendam censemus. Atqui hanc rem haudquaquam expertam habemus, et tristi cum animo posterae debemus relinquere observationi atque indagationi.

Contagium, in ulla regione ortum, generat sui simile et multiplicatur in homine, progreditur ad vicinas et migrat tali ratione per totum terrarum orbem (17). Quod quum non semper homo ab homine accipiat, aut per aërem aut per corpus alienum, cui inhaeret, ab aegrotis ad sanos advehi debet; illud igitur volatile hoc autem fixum vocatur. Quamvis

---

(16) Val. ab Hildebrand ratio med. T. II. c. IV.
(17) Ibid.

autem febres inveniantur, quarum contagia contactu tantum inficiunt, attamen plurima contagia ambabus malum afferre possunt rationibus. Quod ad corpora, quae idonea sunt ad contagium transportandum, pertinet, inter omnes constat, materias idioelectricas id optime secum ferre. Licet igitur sciamus, materiam, quam pustulae variolarum, varioloidum, vaccinarum, pestis etc. contineant, horum morborum contagium secum portare, non tamen compertum habemus, quod sit in ea, ut ita dicamus, materia peccans. Ceterum vero de multis ejusmodi morbis, sicuti scarlatina, morbillis etc., contagiorum respectu in tenebris versamur, quamquam contendere possimus, illos ex contagio non autem e miasmate originem ducere debere.

III. Mechanicae.

Haud raro his ex causis concitatur febris, verum non directo sed indirecto modo, dum magna corporis pars laeditur et inflammatio exorta febrim secum fert, aut humorum crasis simul cum solidorum conditione perturbatur et tali modo accenditur febris. Primum igitur vulnera, ossium fracturae et luxationes commemoranda sunt (18); tum ulcera, quae

(18) Val. ab Hildeb. instit. med.-pract. tom. I. p. 83.

longum temporis spatium persistunt, annotanda sunt, nam corporis vires exhauriunt et provocant constitutionem cachecticam, qua febris hectica saepissime exoritur; tandem vero cibi mali aut ingenti copia sumti non omittendi sunt, ventriculum enim admodum stimulant, ejusque functionem turbant et hoc modo febrim proferre possunt (19).

b) Internae.

Multae res ac conditiones ex interna parte hominem febri affectare queunt. Omnes enim organorum internorum morbi cum febri aliqua conjuncti esse possunt, ut nostro aevo vir celeberrimus contenderit, nullam febrim essentialem existere. Tum vero vermes, quae in intestinis habitant, febrim producere possunt. Lactis quoque secretio febrim prae se ferre solet, ut obstetrices, ubi deest, malum omen praesagiant. Nec minus denique dentitio et menses febris dispositionem praebere possunt.

II. Psychicae.

Quamquam nemini ignotum est, animae alterationes conditionesque corpori magnam gravemque noxam afferre posse, attamen cau-

(19) Galen. de morb. et sympt. diff. et caus. lib. II., cap. II.

sam hujus phaenomeni non compertam habemus. Neminem vero fugit, faciem metu et ira pallescere ac rubescere, quin imo hominem conscientia privari posse, corporis constitutionem moerore ac tristitia aliisque rebus adversis sic mutari et perturbari; ut miserrima vitae conditio appareat et mors nuntius sit jucundus. Quam ob rem minime mirandum est, febrim ex illis rebus exoriri; id quod jam *Galenus* (21) et *Val. ab Hildebrand* (22) observarunt atque in scriptis annotarunt.

II. CAUSA PROXIMA.

Omnes fere scriptores, qui de febribus aliquid literis commendaverunt, naturam earum ac indolem evolvere conati sunt; quare multae variae opiniones, quae inter se valde differunt saepeque plane contrariae sunt, venerunt in lucem. Verum enimvero, ignotis vitae legibus, aberrationes ejus in obscuro remanere debuerunt. Quamquam igitur adhuc de vitae processu in tenebris versamur, attamen de corporis parte, in qua febrium causa proxima quaerenda est, medici consentiunt. Priusquam vero de hac re loquamur, priorum scri-

(20) Galen. de morb. et sympt. diff. et caus. lib. II. cap. II.

(21) Val. ab Hildeb. instit. pract.-med. tom. I. p. 85.

ptorum opiniones plurimas praecipuasque revolvamus.

Erasistratus primus febrim definire conatus est (22). Si enim, ait, sanguis ob plethoram ex venis in arterias propellitur, is pneuma, quod e corde per arterias fluit, turbat mutatque ejus motum; id quod febris est.

Asclepiades dicit, febriculam esse fervorem plurimum in omnibus sive plurimis corporis partibus, commutatione pulsus in vehementem, ob obtrusionem facta (23).

Galenus contendit, febrim esse calorem praeter naturam in corde (24); sed aequales ei jam contradixerunt. Nihilominus medici saeculorum sequentium *Galenum* hac in re sicuti aliorum respectu morborum secuti sunt, donec *Paracelsus* saeculo decimo sexto largius severiusque indagavit res medicas.

Secundum ejus sententiam febris causa proxima est vehemens excitatio principii, quod vitae functionibus praesidet, vehemens nempe agitatio furentis *Archei* (25).

Van Helmont scribit: »Quidquid enim in

---

(22) Ueber die Natur und Behandlung der Fieber v. L. H. Baumgärtner. Frankf. a. M. 1827. Bd. I. p. 9.

(23) Caelius Aurelianus de morbis acutis et chronicis. Amstelod. 1809. lib. II, c. XXXIII, lib. I, p. 4.

(24) Galen. de febr. diff. lib. I. cp. I, II, III et IV.

(25) Aureoli Philippi Theophrasti Bombasti ab Hohenheim, Paracelsi, opera. Strafsburg 1603. S. 681.

sano edit actiones sanas, id ipsum in morbis edit actiones vitiatas. Spiritus enim iste calefacit hominem naturaliter in sanitate, idem qui in febribus aestuat. Solus ubique *Archeus* effective febrim concitat et quo abeunte per mortem, cessat cum eo febris (26).

Franciscus de le Boe Sylvius censet, pulsum frequentem, qui principale febris symptoma sit, nimis magna et perpetua sanguinis rarefactione, per vehementem ex utriusque sanguinis effervescentia accensum ignem exorta, provocari (27). Verum pulsus frequens solus minime demonstrat, febrim adesse; quare sententia illa labitur.

Nec magis probanda est *Willisii* opinio, quae febris causam proximam ponit in sanguinis fermentatione; nam fermentatio illa in corpore existere non potest, nisi vita cesserit (28).

Laurentius Bellinus febris definitionem huncce in modum protulit: »Febris est vitium sanguinis aut in motu, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in horum aliquibus, aut in omnibus (29). Verum sanguinis motus saepe mutatur, quin febris exoriatur, ut cursus et

---

(26) van Helmont opera — tract. de feb. cp. I. 27—31.

(27) Baumgärtner l. c. p. 24.

(28) Baumgärtner l. c. p. 26.

(29) Burserius l. c. p. 81.

exercitia demonstrant; eodem modo plethora et Oligaemia inveniuntur sine febri; tandem vero sanguinis quantitas vitiata esse potest, uti scrophulosis, arthritis aliique morbi ostendunt, nec tamen ex ea homines febricitant. Illa igitur sententia non sufficit ad febrem explicandam.

Sydenham et, qui eum sequebatur, *P. Frank* febrim habent naturae instrumentum, quo impura secernantur a puris (30). Simili ratione nominat *G. Ern. Stahl* febrem naturae conamen, mortem avertendi (31). Quibus ex rebus liquet, febrem non esse morbum, aut omnes morbos febres nominari posse.

Fridericus Hoffmann dicit, febrem esse totius nervorum vasorumque systematis affectionem spasticam, cum omnium corporis functionum laesione conjunctam et exortam e causa, quae partes nervosas ad vehementiores propellat contractiones, ita vero, ut vitae humores primo in internam corporis partem pellantur, tum autem, cordis arteriarumque contractione adaucta, cum calore ad vasa angustiora redeant, donec, spasmo soluto, secretiones intrent, febrisque remittat (32).

---

(30) Baumgärtner l. c. p. 31.
(31) Baumgärtner l. c. p. 33.
(32) Baumgärtner l. c. p. 34. — Frid. Hoff-

In omni febri, ait *Boerhaave*, a causis internis orta, horripilatio, pulsus velox, calor vario febris tempore vario gradu adsunt. Febris natura petenda est ex consideratione trium communium symptomatum. Quae quidem in omni febri adsunt, sed sola velocitas pulsus adest ex his omni febris tempore ab initio ad finem, eaque sola medicus praesentem febrim judicat. Adeoque quidquid de febri sic novit medicus, id vero omne velocitate pulsuum sola cognoscitur, a morte cessat omnis febris. Causa ergo velocitatis hujus proxima est pariter causa febris, sic cognitae, proxima. Ergo velocior cordis contractio. Itaque affectio vitae conantis mortem avertere tam in frigore quam in calore. Ergo velocior reciprocus influxus liquidi nervosi et cerebellosi in musculos et sanguinis in vasa, et cava cordis (33). Quamvis igitur *Boerhaave* longissima deductione operam sibi dederit, ut febris causam proximam amplectatur, attamen ipsi assentire non possumus, quoniam pulsum velocem pro signo febris solo pathognomonico habet, quod non concedendum est; pul-

---

manni opera omnia. Genev. 1761. de omnib. gener. febr. sect. prim. §. 3.

(33) Aphorism. de cognoscendis et curandis morbis ab Herm. Boerhaave 563. 568—574.

sus enim cursu exercitiisque et animi alterationibus acceleratur nec tamen febris adest.

Fr. Boisier Sauvages credidit, febris causam proximam in eo positam esse, quod major fluidi nervosi aut virium copia in cordis nervos, quam in nervos extremitatum, profluat, hoc autem fieri, ut impedimenta, quae sanguinis circulationem in vasis capillaribus coerceant, e medio tollantur. Haec opinio vix abhorret ab ea, quam *Fr. Hoffmannn* et *Boerhaave* memoriae prodiderunt et eadem ratione judicanda est.

Todius in libro, quem edidit anno 1769 de duplice febrium indole, non aliunde febrim proxime oriri putat, quam ex sensorio communi, quod aliquo stimuli genere irritetur, irritationemque suam vario modo ad reliquas totius corporis transmittat protendatque (35). Verum enim vero sensorium commune admodum alteratur in hypochondria et hysteria, nec tamen febris animadvertitur.

Cullenius vasorum minimorum atoniam, nescio quam, succedentemque spasmum sibi confingit et pro causa habet proxima febrium omnium (36). Quum autem neque venae ne-

(34) Sauvages nosolog. methodol. Amstelodam. 1768. tom. I. p. 262.

(35) Burserius l. c. p. 93.

(36) id. p. 94.

que arteriae (37) vi musculari gaudeant, hae vero in illas per vasa capillaria, quibus nostra aetas parietes membranaceos (38) tantum vindicabat, transeant (39); difficillime intelligendum est, quomodo vasorum minimorum atoniam spasmus sequi queat. Hoc autem praetermisso multo verisimilius est, vasorum minimorum atoniae, reliquis vasis integritate gaudentibus, prius eorum rexis quam spasmus succedat necesse esse. Itaque, quod *Cullenius* de febrium proxima causa proposuit, minime probandum est. *Selle* ponit febrium causam proximam in nervorum systematis idiosyncrasia, materialem vero in sanguinis vitio (40).

Marcus febres omnes ad inflammationem reducere conatus est, et dixit, nullum discrimen esse inter febrem et inflammationem, nisi, quod illa ab ullo corporis systemate haec autem ab organo quodam originem sumeret. Verum haec opinio non magis probanda est, quam ea, quam *Broussais* in lucem protulit;

---

(37) Handbuch der Physiol. d. Menschen v. Dr. Joh. Müller. Coblenz 1834. Bd. I. p. 192.

(38) id. p. 205.

(39) id. p. 199.

(40) Selle rudiment. pyretolog. Berol. 1786. pag. 89. vid. Baumgärtner l. c. p. 42.

(41) Marcus, Entwurf einer spec. Therapie vide Baumgärtner. l. c. p. 44.

nam non quadrat ad omnes febres, idcircoque febrium causam proximam evolvere non potest.

Reich dicit: »*Der generische Character und das Wesen des Fiebers besteht in einer, durch die widernatürliche, absolute oder relative, örtliche oder allgemeine Verminderung des Sauerstoffs bewirkten widernatürlichen Trennung und Wiederverbindung der einfachsten Bestandtheile des menschlichen Körpers.*« (42). Inter omnes quidem constat, oxygenium ad vitam servandam necessarium esse; ceterum vero conditionum, quibus illud in corpore gaudet, cognitionem amplectimur tam mancam, ut illam opinionem valde hypotheticam habere debeamus.

Hufeland contendit, febris causam proximam esse organisationis praesertim vasorum nervorumque systematis vitium, quod horum irritabilitatem augeat atque acceleret vim vitalem (43). Haec sententia non plane abhorret a verisimili neque rejicienda est.

Harlefs hancce theoriam nobis proponit: »*Fieber sind ihrem allgemeinen Character*

---

(42) G. Ch. Reich, vom Fieber u. dessen Behandlung überhaupt. Berlin 1800. vid. Baumgärtner l. c. p. 45.

(43) G. W. Hufeland System der pract. Heilk. B. II. allgem. Fieberlehre. Aetiologie v. Baumgärtner l. c. p. 53.

nach zu bestimmen als die auf einanderfolgenden Acte der Entwickelung und Aeusserung eines ungleich anomal und krampfhaft gewordenen Antagonismus zwischen dem Nerven- und Blutgefäſssystem sowohl von Seite ihrer gegenseitigen Receptivität als von der ihrer gegenseitigen Reactionsweise, so zwar, daſs diese Störung und krampfhafte Anomalie des Antagonismus ihren Ursprung nimmt einerseits in dem Gebiete der Gefäſsnerven, andrerseits in demjenigen der kleinsten Arterienendungen und der aus diesen hervorgehenden Capillargefäſse, und sich von diesen Gebieten aus mehr oder weniger nach den Centralherden des Nervensystems und Blutgefäſssystems verbreitet (44).

Baumgärtner febrim declarat omnem vasorum nervi morbum et hac re affectam vasorum actionis mutationem (45); omnia enim, ait, febris symptomata hisce explicanda esse, ea autem, quae non deducenda sint, essentialia non habenda esse; tria febris signa pathognomonica existere, pulsum, temperaturam et secretiones alteratas, eademque e vasorum

---

(44) S. Fr. Harleſs, neues praktisches System d. spec. Nosologie. Koblenz 1824. B. I. p. 137. v. Baumgärtner l. c. p. 53.

(45) Baumgärtner l. c. p. 68.

agitationis alteratione esse deducenda. Quod igitur ad pulsum attinet, verum est; temperatura vero et secretiones etiam ab aliis nervis, qui vasorum nervo non annumerandi sunt, pendent neque liquet, earum alterationem sola vasorum nervi affectione provocari debere. Ceterum vero ille opinionem suam confirmare conatus est eo, quod argumentari studebat, arterias vi musculari gaudere; id quod Dr. *J. Müller* (46) coarguit.

Sin igitur scriptorum opiniones relatas, quibus plures adhuc adjici possunt, animo revolvimus, mox intelligimus, illos rem frustra tentasse; nam, quod eruere studebant, inexplicabile remanebit, quamdiu de vitae processu in tenebris versamur, neque largiorem uberioremque ejus cognitionem acceperimus. Ceterum vero alii auctorum solam corporis partem, in qua febris causa proxima petenda sit, attulerunt neque affectionis ipsius rationem protulerunt; alii vero, hanc rem intelligentes, res severius tractarunt, et inepta aut hypothetica in lucem produxerunt. Sed melius est illos quam hos imitari; quare de corporis parte, in qua febris causa proxima petenda est, pauca adjiciamus. Symptomata,

---

(46) Handbuch der Physiol. d. Menschen v. Dr. J. Müller. Koblenz 1834. Bd. I. p. 192—196 u. 219.

quae febres in primo stadio prae se ferunt, totum organismum laborari, satis demonstrant. Horum autem tria, sensorium commune, pulsus et temperatura alterata, etiam per cetera febris stadia persistunt et tantum magis minusve variant, ita ut ex eorum consideratione febris causa proxima petenda sit. Verum sensorium commune et temperatura (47) alterata ad nervorum alterationem reducenda, pulsus vero alteratus ad vasorum affectionem referendus est; quare febris causa proxima est ulla nervorum vasorumque affectio.

---

(47) Handb. d. Phys. d. Mensch. v. Dr. J. Müller. Koblenz 1834. Bd. I. p. 73—86.

VITA.

Christophorus Alff, Prumiensis, die XXIII. m. Julii anni MDCCCXI natus a patre *Joanne* et matre *Anna Margaretha* e gente *Berg*, quibus mors me jam pridem privabat, confessioni catholicae addictus, primis literarum elementis Prumiae imbutus Treviros anno MDCCCXXV sese contulit ibique Gymnasium per sex annos et dimidium frequentavit. Testimonio maturitatis munitus, ut medicinae studeat, Bonnam petiit, ibique anno MDCCCXXXI civium academicorum numero a rectore t. t. magnifico Ill. *Diesterweg* adscriptus mox apud t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum Ill. *Nasse* nomen professus est. Per tres annos in illa literarum sede versatus est et hisce praelectionibus adfuit:

Apud Ill. *de Kalker* de logice, psychologia et introductione in philosophiam; Ill. *Müller* de medicinae encyclopaedia et methodologia, physiologia et pathologia generali; Ill. *a Muenchow* de physice; Ill. *Bischoff* de chemia experimentali; Cel. *Bergemann* de zoochemia; Ill. *Treviranum* de botanice; Ill. *Goldfuſs* de zoologia et zootomia; Ill. *Noeggerath* de mineralogia; Ill. *Mayer* et *Weber* de anatomia generali et speciali, qui simul moderatores in arte cadavera dissecandi fuerunt; Ill. *Weber* de anatomia comparata; Ill. *Bischoff* de materia medica et formulari; Ill. *Wutzer* de chirurgia, operationum doctrina, oculorum morbis, fasciis rite applicandis et exercitationibus clinicis chirurgicis; Ill. *Nasse* de therapia generali et speciali, corporis animique functionibus conjunctis et exercitationibus clinicis propaedeuticis; Cel. *Albers* de pathologia speciali, semiotice speciali et medicina forensi; Ill. *Stein* de obstetricia.

Autumno anni MDCCCXXXIV illustrem literarum sedem adiit Berolinensem, a t. t. rectore magnifico Ill. *Steffens* in civium academicorum numerum receptus, Ill. *Busch*, h. a. gratiosae medicorum facultatis decano spectatissimo nomen dedit et has praelectiones frequentavit:

Apud Ill. *Müller* organorum sensuum et cerebri anatomiam; Ill. *Busch* exercitationes clinicas obstetricias; Cel. *Wolff* exercitationes clinicas medicas; Ill. *Rust* exercitationes clinicas chirurgicas; Ill. *Juengken* exercitationes clinicas ophthalmiatricas; Ill. *Bartels* exercitationes clinicas medicas; Ill. *de Graefe* exercitationes clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas.

Ex anni praeterlapsi mense Novemb. in cohorte octava legionis Alexandri, imperatoris, chirurgi militaris munere fungitur, duce viro Cel. *Richter*, ut reipublicae legibus satisfaciat.

His omnibus viris de summis in se meritis gratias agit quam maximas semperque habebit

AUCTOR.

THESES.

1. Conjunctiva oculi est membrana mucosa.
2. Cordis vis sola efficit sanguinis circuitum.
3. Narcotica sola sanguine recepta vim habent universalem.
4. Venaesectio in pneumonia remedium principale.
5. Nullus morborum psychicorum existere potest sine materia nervorum alterata.
6. Sectionis caesareae methodus, quam *G. G. Stein* junior proposuit, ceteris omnibus praeferenda est.
7. Placenta normali in casu arti non nimis cito removenda est.